

www.e-rara.ch

Ecclesiastica Historia, sive Metropolis

Krantz, Albert

Basileae, [um 1552]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2832>

D. Alberti Crantzii Hamburgensis vita, per d. Ioachimum Mollerum

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

D. ALBERTI CRANTZII

Hamburgensis uita, per D. Ioachimum
Mollerum.



NA T V S est Albertus Crantzius in ciuitate Ham-
burga, in familia honesta. Ac in prima ætate ad di-
scendas literas adhibitus, omni doctrinarum gene-
re ingenium suum excoluit. Cumq; eius ætas gra-
uioribus studijs idonea esset, ius ciuile ac pontificiũ
addidit. Postea cũ esset ingenio bono, ac multarũ
artiũ capaci, animũ ad theologiæ studium applicuit: ac in utraq; disci-
plina tantũ promouit, ut insignia cum iuris tum theologiæ meruerit.
Scripsit etiã uersus, & in dicendi genere, ut tunc tẽpora ferebãt, excel-
luisse eum, res ipsa ostendit. Antiquitatis eũ fuisse studiosissimũ, mul-
tæ & uarię ab eo scriptę historiæ declarãt, Saxonia, Vandalia, Dania,
Suecia, Noruegia, & Metropolis. Nec in ocio uixit, sed ingeniũ suũ
& doctrinam præcipuè ad utilitatẽ ecclesię contulit. Nam cum uirtu-
te, doctrina, multarum artiũ scientia, & facundia, præter cæteros in
collegio Hamburgensi excelleret: præcipua eius in decanatu fuit au-
thoritas: & lectoris theologiæ officio functus, sacras literas profes-
sus est, ac publicis concionibus populum docuit. Atque uel hinc
aliqua uestigia ueteris disciplinæ collegiorum sese proferunt, ut non
dubium sit olim fuisse ea scholas, in quibus doctrina religionis con-
seruaretur. Et hoc consilio à Carolo Magno, eiusq; filio Ludouico
Pio institutũ est Hamburgi collegium duodecim monachorũ, qui-
bus & uitæ regula à Corbeiensi conuentu sumpta, præscripta est, ut
essent custodes doctrinæ Euangelij, ac ad uicinos etiam Christi uer-
bum transferrent. Et huius ministerij conseruandĩ causa sumptus ne-
cessarij ipsis attributi sunt, quos nunc uulgo præbendas uocant. Sed
procedente tempore, paulatim factum est, ut eos puduerit nominis
regularium, quòd uiderentur hac appellatione alijs monachis com-
parari. Itaq; mutato nomine, maluerunt ignotiore & infrequentiore
uocabulo, à canone canonici, q̃ à regula regulares dici: quòd regula
ista eos monachos faceret, & ad tale uitæ genus adstringeret, in quo
minus licentiæ, luxus, uoluptatum, & aliorum uitiorum concedere-
tur. Suntq; & ipsi Hamburgenses isti duodecim monachi aliorum
regularium, ut uocant, licentiam imitati, ut neglecto ministerio, ocio
& uoluptatibus sese dediderint, & bonã collata ad usum ministerij,
& conseruationem doctrine, ad luxum & obscenas uoluptates con-
uerterint, nullamq; curam animarum amplius habuerint. Quam li-
centiam à Romano pontifice magno ære emptam augebant, & de-
fendebant impudenter, aliaq; scelera alijs quotidie accumulabant.

ut tandem omnino ecclesia doctoribus & ministris destitueretur. Utque ex scelere suo quaestum etiam facerent, coeperunt elocare parochias indoctis, & uentri tantum seruientibus, cum quibus praedas & rapinas partiebantur.

Quum igitur ex illa negligentia rerum diuinarum, & impietate canonicorum, quidam collega ipsorum M. Ioannes Fritz, uir bonus & doctus, certissimum interitum totius doctrinae Christianae, & uastitatem ecclesiae in hac urbe sequitur cerneret, pio studio adductus, reditus quosdam separatos ab alijs ecclesiasticis bonis ordinauit, quibus aleretur uir doctus & pius, qui sacras literas ibi in schola prelegeret, ac populum stans diebus pro concione doceret.

Sed pro sua usitata iam longo tempore malitia, canonici tunc temporis enixe obstiterunt amplius decennio, ne lector hic theologicus admitteretur. Sed tamen Dei beneficio tandem opus pie coeptum processit. Fuit itaque D. Albertus Crantzius, nonus in ordine horum lectorum, ac ecclesiam fideliter docuit. Animaduertit & in doctrina eius temporis multum fuisse errorum, & superstitionum, & mores impuros & contaminatos canonicorum & monachorum acerrime reprehendit, ac eos in ordinem redigere conatus est. Sed cum frustra se hoc tentare uideret, eo quod peruersitas eius generis hominum munita esset autoritate pontificis, fertur dixisse: Nunquam posse eos reduci ad meliorem frugem, nisi prius a uiris doctis expugnata arce. Interrogatus autem, cur ipse sese non opponeret tam crassis erroribus, respondit, Se neque eruditione, neque aetate parem esse tam magnis negocijs. Et ut erat uir sapiens, non existimauit unius hominis ingenium sufficere ad tollendos inueteratos abusus, & nauos qui in ecclesia haerebant, nisi diuinitus adiuuaretur. Quare cum aegrotus, ac fere animam agens, uidisset propositiones Martini Lutheri contra indulgentias, considerans rei magnitudinem, & imminetia pericula, quasi desperans de tantae rei successu, dixisse fertur: Nihil effecturum esse contra tam potentes aduersarios. Suum esse consilium, ut ab incepto desisteret. Frater, frater, inquit, abi in cellam, & dic Miserere mei Deus. Decessit autem eo anno Albertus Crantzius. Cui successerunt ordine alij duo pie & docti uiri. Hoc uero tempore ecclesiae Hamburgensi eodem loco praest uir insigni pietate ac eruditione praeditus, D. doctor Ioannes Aepinus, qui editis iam aliquot monumentis doctrinae ecclesiasticae, publice testatum fecit, quanta fide & sinceritate uerbum Dei doceat. Cumque omnibus nota atque perspecta sit eius uiri excellens doctrina, pietas, prudentia, ac moderatio in gubernanda ecclesia, ac studium conseruandae tranquillitatis & concordiae in doctrina, in hac commemoratione lectorum mentio eius nequaquam praetereunda fuit.